



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Vbi sacra Coena administranda sit, & de Communionem apud ægrotos 68

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

nem, quam Aduersarij contra Librum mouere conantur, quasi authores eius de hoc sacramento & potentia Christi, in Cœna non rectè sentiâr, Liber Reformationis ipse plenissimè diluit, in eo quod veram exhibitionem & perceptionē corporis & sanguinis Christi in S. Cœna in tam multis locis liberè & expresse fatetur atque docet.

Tertia pars.

*Vbi Sacramentum Eucharistia debeat consecrari: & de commu-  
nitione infirmorum.*

CAP. LXVIII.

**T**ERTIA pars vigesimæ tertie accusationis est, contra id quod in Libro Reformationis ordinatum est, de Communionē egrotantium & eorum, qui remotius ab Ecclesia habitant, Hic dicunt, Per Ordinationem istam, ordinarunt tempus, locum & modum S. Cœnam Domini administrandi transiliri. Tempus, Quod visitationes egrotantium omni tempore ante & post prandia, secundum infirmi commoditatem, fieri debeant, comederit licet pastor, aut ieiunet. Veterem verò esse ordinationem Ecclesiarum, vt hoc sacramentum non nisi ieiuni tractent, & percipiant. Locum, illum enim esse tantummodo Altare Ecclesiæ ajunt. Librū verò velle, vt sacramentū pro infirmis in domibus eorū cōficiatur: permittere quoq; qui remotius ab Ecclesia habitāt, vt Cœnā Dei cōuenienti tempore in propriis domibus & habitationibus seruent. Modum: Quod Eucharistia non sine solenni gratiarum actione celebrari debeat: sacerdos verò qui illud administrat, de eo simul quoque communicet. Librum verò Reformationis nihil amplius requirere, cum sacramentum apud infirmos conficiendum est, quàm vt Pastor verba institutionis huius sacramenti vnā cum oratione dominica super panem & vinum pronunciet: sacerdoti verò non imponere legem simul communicandi. Ad exaggerandas autem & amplificandas accusationes istas, plurima Patrum & Conciliorum dicta produciunt, nullum verò testimonium S. scripturæ, neque enim vel vnum aliquod habent.

*Defensio libri sumpta ex verbo Dei.*

**D**At nobis Dominus corpus & sanguinem suum, vt magis ac magis in ipso viuamus, & ipse vicissim in nobis, Ioan. 6. Iubet nos quoque vt S. Cœnam in memoriam sui celebremus, quo in fide erga ipsum, omnique pietate confirmemur, ac de gratia noui Testamenti, & beata resurrectione certiores reddamur. Eiusmodi consolatio ac confirmatio fidei omnibus Christianis maximoperè prodest, afflictis verò & laborantibus summè necessaria.

Ex quo consequitur, hanc consolationem nemini Christiano, minimè verò omnium infirmis & egrotantibus subtrahendā esse. Iā verò Cōsolatio ista fideiq; corroboratio maxima ex parte per verba Domini, per quæ

Sacramenta conficiuntur, hominibus communicantur. Quare conuenit, vt apud ægrotos integra Cœna Domini administraretur, eisque salutifera verba Domini, *Accipite & comedite: accipite & bibite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*, summa cum religione proponantur, & vniuersa S. Cœnæ actio apud ipsos peragatur.

Etenim Dominus dixit, Sabbathum esse propter hominem: & adduxit quoque factum sacerdotis Abimelech, eumque rectè fecisse pronunciauit, quando Dauidi, ac sociis eius panes propositionis dedit, cum nulli alij in promptu essent, Marc. 2. In quo docuit Dominus, *Externas ceremonias & ordinationes ita debere Filius Dei inferuire, vt corporali quoque necessitati eorum cedant*. Quantò magis igitur spirituali? Hac de causa ab antiquo datur ægrotis sacramentum, etiam post sumptum cibum, quando necessitas exigit: quemadmodum Apostoli quoque in principio non ieiuni, sed vnà cum reliquo cibo id sumpserunt. Hinc factum est, vt nonnullæ Ecclesie tempore Augustini hanc consuetudinem obseruarent, vt in die Cœnæ Dominicæ etiam post cœnam S. Cœnam Domini celebrarent & sumerent.

Nihilominus tamen, vbi necessitas fidelium non aliter exigit, ordo iste violandus non est, nempe vt S. Cœna Domini manè & à ieiunio celebretur, quo maiori cum religione ac deuotione mentis omnia peragantur. Cyprianus tamen non eandem quam Augustinus eius consuetudinis rationem assignat, qua S. Cœna manè, non vespere, sicut fecit Dominus, celebrari debeat, Propterea quod totus populus vespertino tempore non ita facilè vt matutino cogi possit, quò sacramentum coram tota fraternitate administraretur. Quin & hanc quoque, quòd in hoc Sacramento memoriam Resurrectionis Domini recolimus ac celebramus.

Quamobrem S. Cœna iuxta communem quidem cursum ac consuetudinem ante reliquos cibos administrari ac sumi debet: vbi verò necessitas infirmorum aliter postulat, debet ordinatio ista necessitati eorum cedere. Et quemadmodum minister non peccat, si in tali casu non ieiunus sacramentum ægrotis ministrat, nec malè faciunt infirmi, qui illud non ieiuni percipiunt, sic etiam non peccat minister, qui cum res ita tulerit, non ieiunus in vtilitatem ægroti sacramentum conficit, vel etiam simul communicat. Quamuis conuenientius est, homines diligenter adhortari, quemadmodum ordinat liber Reformationis, vt ministros Ecclesie ad ægrotos suos in tempore vocent. Hoc pacto enim ita rem componere poterunt, vt S. Cœnam cum ægrotis mane celebrent, quòd vt commodè fieri possit, Ministri operam dare debent. At tamen si aliter eueniat, infirmi neque temporis, neque vllarum externarum ceremoniarum causa tanto solatio priuandi sunt. Hactenus de tempore & ieiunio.

Quantum ad locum attinet, consimilis ratio est. Vult quidem Dominus, quo augustius, & ad vniuersæ Ecclesie suæ ædificationem vtilius, sacramentum administraretur, vt fideles qui id præstare valent, in vna Ecclesia.

Ecclesia conueniant, sese mutuo expectent, ibique de eadem mensa & altari, *unum panem, unumque calicem, & cum his communionem corporis & sanguinis sui omnes percipiant, quemadmodum ipsi omnes unus panis & unum corpus in Domino sunt.* I. COR. IO. & II.

Nihilominus tamen actio ista, sicut non ad Ieiunium, ita nec ad locum alligata est. Nam & Apostoli ipsi, & post eos S. Martyres in priuatis adibus panem fregerunt, Act. 2. Porro sicut se res habet de Tempore & loco, sic etiam de modo & ratione S. Cœnæ. Apud eam semper debet solennis memoria Christi cum oratione celebrari, quemadmodum in libro Reformationis ordinatum est. Estque rursus manifesta calumnia, quod Aduersarij dicunt, Librum velle, vt tantummodo verba institutionis, Accipite & comedite, &c. simul cum oratione Dominica apud infirmum pronuncientur. At videatur Liber, plures enim lectiones, exhortationes, gratiarum actiones & Orationes præscribit. Memoria verò Christi & preces vel prolongari vel abbreviari debent, prout astantibus quammaximè ad edificationem conducere videbitur. Gregorius primus lib. 7. epist. 63. testatur, Apostolos solam orationem ad hanc actionem recitasse, qui tamen S. Cœnam optima ratione ac forma administrarunt.

Porro quod minister, qui sacramentum conficit, simul quoque de eo communicare debeat, id bonum est, & nihil illi contrarium in libro Reformationis ordinatum. Ex hoc omnibus constat, Librum Reformationis de Communionem apud infirmos, vel generosos, aliosque qui interdum ad Ecclesiam commodè accedere non possunt, administranda nihil ordinasse, quod non in S. literis suum fundamentum habeat.

*De fide & obseruatione veterum circa hanc rem.*

Videantur omnia hæc loca, quæ Aduersarij adduxerunt, & nullum inuenietur in eis verbum, quod cum his, quæ in libro Reformationis ordinata, hic verò fusius explicata sunt, pugnet. Nam & ipsi Patres in vtraque Ordinatione loci scilicet & temporis, necessitatem quæ nullam legem patitur, excipiunt. Et hoc habetur in cap. Sicut non, dist. 1. ab aduersariis adducto, expressè positum. *Quemadmodum etiam clarum habemus de missis in priuatis Orariis celebrandis, quoties ad Ecclesiam homines non facile accedere possunt, cap. Si quis, dist. eadem. Ad hæc iam dudum usu receptum est, vt Ieiunium, egrorum non respiciatur.*

Ceterum in eo quod Canones quosdam & dicta Patrum de Conuenticulis & altariis citant, rursus animum suum nimis contra librum Reformationis concitatum atque inflammatum demonstrant. Neque enim sine dubio tam insani ac cæci fuerunt: vt non potuerint videre, canones istos, dictaque Patrum, contra eos tantum facere, qui ab Ecclesia se separant, & priuata conuenticula habent: qui seorsim altaria erigunt atque hoc modo schismata incipiunt: non autem loqui, neque de infirmis, neque aliis, qui ad publicos conuentus facile venire non possunt.

Eiusmodi peruersum & exacerbatum animum Aduersariorum magis

adhuc declarat, quod ipsi tam manifestè ac multipliciter ordinationem istam transgrediuntur, quam hoc loco contra librum Reformationis adducunt. Omnia enim loca priuatis templis & altaribus repleuerunt, neque adhuc eo fuerunt contenti: qui diplomata quoque dederunt, ut cum consecratis suis lapidibus in omnibus angulis, & vbiunque id ab eis requireretur, Missam celebrare possent.

Haecenus de loco & modo S. Cœnæ.

Quarta pars.

De veneratione, expositione & circumportatione sacramenti.

CAPVT LXIX.



Hoc loco accusant Aduersarij librum, propterea quod hæc omnia affirmet esse non ex guum abusum Sacramenti.

Defensio Libri ex verbo Dei.

**A**busum esse Christiani agnoscunt, quotiescunque aliquid vsurpatur, quàm à Domino ad vsurpandum est institutū. Iam verò Christus Dominus noster cū panem & vinum in manus accepisset, & Patri gratias egisset, discipulis vtrumque dedit, eosque panem manducare, ac de poculo bibere iussit, dicens simul, *Hoc est corpus meū, & Hic est sanguis meus, &c. Hoc facite in mei commemorationem.* Quid? Sine dubio id ipsum, quod ipse ibi fecit, & mandauit fieri. Quid autem hoc erat? Sacramenta post solennem gratiarum actionem dispensare, in eisque percipere & manducare corpus suum, quod pro nobis traditum est: & bibere sanguinem eius, qui pro nobis effusus est, in remissionem peccatorum, & confirmationem noui fœderis gratiæ & adoptionis diuinæ: idque ad fidelium eius commemorationem: nempe vt ibi mortem & resurrectionem, atque amplissima eius beneficia nobis præstita & promissa vera mentis deuotione perpendamus, annunciemus, prædicemus & extollamus, quò fide in ipsum, & in omni pietate crescamus ac promoueamus. Hic demum ille vsus est S. Cœnæ quæ Dominus mandauit & instituit, id quod omnes Christiani fatebuntur.

Quamobrem nõ leuem, sed grauissimum huius sacrosancti sacramenti abusum esse oportet, tantummodo spectaculū ex eo facere, illud ostendere ac deportare, solummodo vt homines id contemplantur, adorent, coram eo se prosternant, auro & argento, aliisque externis & corporalibus seruitiis venerentur, sine dispensatione & sumptione, sine penitentia peccatorum, veraque fide in Christum Dominum nostrum, cum perseueratione in manifestis peccatis contra conscientiam, & cum tam superstitiosa & idololatrica persuasione, quasi hæc Sacramenti actio quæ Sacerdos in Missa exercet: contemplatio quoque & externa Sacramenti veneratio, ab hominibus qui absque contritione ac penitentia peccatorum

torum